



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 222. Agitur de Synodi translatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV. necdum adessent, exceptis duobus Burgundiæ Abbatibus, & Joanne Bastone Carmelita, qui a Clero Anglicano missus fuerat. Itaque duobus propemodum mensibus frustra transactis, Abbas S. Ambrosii Mediolanensis Ducis sui nomine exposuit, luem Papiæ grassari, proin se ex parte Domini sui reliquas omnes ditionis suæ urbes Synodi Patribus offerre, exceptis Mediolano & Brixia. Hujus consilio permoti Patres statuerunt, mutationem loci pro futura Synodo necessariam fore, quibus accessit, quod Alphonsus Rex in nonnullis Sessionibus, quæ jam habitæ erant, caussam Petri de Luna Anti-Papæ per suos Legatos resuscitare cæperit, invidiam creaturus Martino V. qui eidem Neapolitani regni investituram denegaverat.

§. CCXXII.

Agitur de Synodi Translatione.

Platina in Martino V. Papa translationem Synodi ratam habuit, quæ & die vigesima secunda Junii decreta est. Difficultatis cardo versabatur circa locum, de quo necdum Patres convenerant. Tandem vero post crebras hac de re disceptationes Andreas Posnaniensis Episcopus suo, ac quatuor Nationis Germanæ Deputatorum nomine loci Electionem Legatis Pontificiis per-

permisit, cui adstipulatus est Philibertus, **Sæcul. XV.**
 Episcopus Ambianensis pro Natione Gal- **A. C. 1423.**
 lica, quæ sex Deputatos miserat; Pro
 Natione Anglica, quæ ceteris numero ma-
 jor erat, Richardus Lincolniensis Epis-
 copus in eandem abiit sententiam, & se
 jam pro nunc locum, quem legati desi-
 gnaturi essent, acceptare declaravit. Nec
 Hispanorum, nec Itolorum Deputati, ex-
 ceptis Papæ Legatis, aderant. Prævia
 hac deliberatione, sole jamjam inclinante,
 Congregatio remissa est in crastinam
 diem, ubi mane, convenientibus ceteris,
 Episcopus Posnaniensis peracta re divina
 in absentia Archiepiscopi Spoletani præ-
 sedit, & ex suggestu scriptum legit se-
 quentis tenoris.

§. CCXXIII.

Concilium Senas translatum.

Sacrosancta Synodus Generalis Papiensis in Labbe Conc.
Spiritu S. legitime congregata, caussa pe- **to. 12. p. 356.**
stis inibi notorie grassantis ipsam civita-
tem Papiensem mutat, & loco ipsius urbem
Senarum in natione Italica consistentem,
tanquam habilem & locum sufficientem pro
continuatione ejusdem Concilii tenore præ-
sentium eligit, atque deputat. Lecto hoc
decreto, Petrus Archiepiscopus Creten-
sis pro Italica Natione respondit: Placet,
quamvis hæc Natio, cum hoc scriptum